



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

Cap. decimum quartum. De infinita Haereseon infaelicis hujus nostri  
saeculi multitudine.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

Euangelicæ concordie testes queamus producere quam ipsos Germaniæ Typographos, quorum præia sub libellis polemicis, acerbissimorum conuictorum plenis genere nunquam cessant: vt è Francofurtensium Nundinarum Catalogis videre est. Obiervant nonnulli inter proximos aliquot annos ex ipsorum officinis plura scripta Euangelicorum contra Euangelicos (tales enim haberi omnes volunt) quam contra Catholicos prodijisse (a) Cui enim ignota sunt Lutheri & Zuinglij discipulorum, Caluini & Westphali, Beza & Helshusij, Brentij & Bullingeri, Flaccianorum & Melancthonianorum, Heidelbergensium & Tubingenensium certamina? Sed de hoc Lutheranorum & Caluinistarum dissidio infra vbi de Franciæ schismate agetur, opportunior erit dicendi locus.

V. Nullum est aduersarijs nostris nec magis commune nec magis noxium bellum quam quod ipsi inter se gerunt. In omnibus ipsorum conuentibus Eridis illud pomum iactum videmus. Quæ admodum enim venenū aliud venenum ferre non potest, sed vnum alterum pellit: sic *hæresis nulli sibi quam in propria sua domo minus quietus habet.* Ac veluti vectores ad diuersa loca tendentes, & diuersas ob causas & negotia eandem nauim ingressi, nunquam idem spectant, aut societatem inter se contrahunt; at ventis increbrescentibus, & mari fluctibus tumente, omnes ad commune periculum propulsandum, consociatis animis & viribus occurrunt: Sic ij qui relicta S. Petri nauicula diuersarū hæreseon se fluctibus commiserunt, nullam inter se societatem aut amicitiam colunt, nisi quando ab excommunicationibus aut censuris Ecclesiasticis commune sibi periculum imminere animaduertunt. Tunc enim discordes in concordiam coeunt, vt licet distincti opinionibus, coniunctis tamen viribus, Ecclesie vnioni tanto melius possint resistere: tunc castra coniungunt, tunc eadem symbola accipiunt, & subijsdem signis in aciem procedunt, nulla in re concordēs, nisi in edendo, bibendo, crescendo & genus humanum multiplicando, Papæ denique bellum faciendo.

VI. Quemadmodum sues, (fœdum & morosum animal) nullum inter se societatem colunt, sed petulci rostris & morsibus se mutuo impetunt; nihilominus tamen quamprimum grunnientem aliquam audiunt, turmatim surrectis pilis, laboranti auxilio accurrunt: sic qui ab Ecclesia desierunt, quamuis non minus se inuicem quam ipsam Ecclesiam capitali odio persequantur, quamprimum tamen vel Ecclesie arma contra se, vnus criminis

reos, expedita, aut occasione afflictiendi Ecclesie vahū seu Pontificē oppugnandi vident, positus in specie inimicitijs, auxilia coniungunt, & mire conspirant. Hic inhiis mentem venit quod Plinius scribit. Quamuis inter Coruum & vulpem nulla sit amicitia vel familiaritas, quoties tamen ille vulpem vider ab accipitre impeti, statim aduolat, & pedibus, rostro & alis insidentem hostem percutit, donec prædam dimittat: sic quoque Corui illi & Vulpes (hæreticos intelligo) quamuis parum inter se conueniant, contra Ecclesiam tamen arctissima faciunt fœdera: quæ deinde d' scusso periculo, mox solunt Sic Aristides & Themistocles ad bellum contra hostem proficiscentes, inimicitias deponere, sed ex eodem reuerſi, rursus sumere solebant. Ac veluti, vt est apud Plinium, in Nili ostio ingens agger ex hirundinum nidis inter se mira arte constructis conspicitur, res quidē per se fragilis, structura tamen & coagmentatione tam firma vt Nili inundationem facile sustineat; sic hominum istorum illuminatorum cohortes, per se infirmæ, vbi mutuis fedibus in vnum coierunt, vim omnem eludere conantur. Hanc ad rē Brissonius apposite, *Mibi*, inquit, *iniuria & conuicia non placent. Venenum non habeo Et quamuis è continua librorum ab Ecclesia aduersarijs scriptorum lectione fellis aliquid fortasse hauserim, conuicijs tamen non certabo.* (b) Sic nec ego. Quia tamē Euangelistæ illi nos porcorum gregi comparant ( id facit Aretius Bernensis Ecclesie minister) nemo, spero, mihi vitio verret, quod eadem, melioris tamen notæ, moneta, hoc eis debitum persoluerim. Sed iam velites lustremus, qui leuibus armis suis procurfantes, dum Lutheranorum, Sacramentatorum & Confessionistarum acies in prociuctu stat, Ecclesiam lacellant.

## DE INFINITA HÆRESEON INFELICIS HUIUS NOSTRISÆCULI MULTITUDINE.

### CAPVT XIV.

#### ARGVMENTVM.

I. *Hæresis vna aliam atque aliam parit.*

II. *Plus*

*a Vid. Bellum Quinti Euangelij Hulsemanni Calvinismum irreconciliabilem Acta in Hassia inter Lutheranos & Calvinianos, b Comment. in Apocal.*



- II. Plus quam ducentas nostro tempore esse hereses.  
 III. De Adiaphoristis, quibus omnia sunt indifferentia.  
 IV. De Interimistis & Vquitarijs.  
 V. De Maioristu.  
 VI. De Ofsandrinis.

I. QVEMADMODVM in magnis calamitatibus malum fere malo addi, & primum secundo aggravari sole; sic in Schismate Ecclesie ex vna heresi alia, atque ex hac rursus alia pullulant; eo quod erroris cursus nullis finibus sit circumscriptus. Ac veluti ab vno vitio ad alia transitur; sic ab heresi vna in alia devenitur. Similiter *vs hereses cito nascuntur, ita quoque cito pereunt*, ut in signis hereseomastix S. Augustinus scribit. (a) Et quemadmodum Arius ille prius se ead calcem peruenit, quam e carceribus fuit egressus. sic nostri quoque temporis complures heretici has prius curriculum suu absoluisse, quam coepisse vidimus. Alius enim alium sequitur, caudis inter se, ut Samsonis vulpeculae, colligati: capitibus vero qua maxime disunctim: similes illis acribus qua ex vna regione in aliam auolant, prout hac vel illa est calidior. Ut denique res omnes Naturae gremio comprehensa oriuntur; atque aboriuntur quotidie; sic hereses in corde Ecclesie, vel fidelibus remedio surgunt; & cadunt. Sic enim D. uis Paulus scribit, oportere esse hereses, ut electi cognoscantur. Et bonus ille Lutherus Comment. in Psalmum xv. idem testatur, inquitens. *quamuis hereses ex seculo multa apportent damna, id tamen boni adferre quod S. scriptura cognitionem nobis aperit.* Hoc igitur viperarum, matrem suam necare conantium, genimiae nullum saeculum a nato & passio nostro Salvatore ad haec usque tempora immune fuit (b). Primo saeculo existerunt Simon & Cerinthus. Secundo Gnostici, Marcionista, tertio Nouariani & Samosateniani. Quarto Ariani, Donatista, Eustathiani, Eunomiani, Ardeani, Luceseriani, Seleuciani, Iouiniani, Helvidiani. Quinto Manichaei, Pelagiani, Nestoriani & Eutychiani. Sexto Iacobitae. Septimo Armeniani & Mahumetani. Octauo Iconomachi. Nono Pauliniani. Decimo Graeci. Undecimo nescio quae quisquiliae, sub quodam Bogomillo, & altero nescio quo Taudemo. Duodecimo Abeillardii & VValdenses. Decimotertio Albigenfes. Decimoquarto Fraticelli, Beguardi, Lollaridi, Flagellantes, & VVicleuista. Decimoquinto Huslita. Decimosexto Lutherani, Anabaptista, Sacramentarij; & qui non de quibus postea dicemus. Quamuis au-

tem totum curriculum hereseos, quacumque ocularos stetas, nihil nisi tam auctorum quam sequacium strage & exitia ostendat, (c) ut qui plerique omnes e curru tanquam remerarij Phaethontes seu solis rectores (d) praecipitatis ceruice fregerunt; nihilo tamen segnior ille mendacij pater, hoc ipso plures ad id e decurrendum stadiu allucere studuit, simulans, hanc colluui e esse Ecclesiam Militantem; suos milites, Dei esse milites; suosque martyres, Dei esse martyres. Sed qui viderit ex vna parte exercitum veteranorum bene instructum, praecunte supremo duce, galea caput recto, manibus hastam gestante; sequentibus deinde grauis & leuis armaturae ferentarijs, & hastatis, in quorum medio vexillum explicatum volat, sonantibus vndique tympanis, postremo denique agmine clausum: ex altera vero imbellem puerorum turbam, in arundine per plateas equitantium, ligneis gladijs praecinctorum, fustes pro hasta humeris gestantium, sudarium perticae alligatum pro vexillo praefertentium, & olam pro tympano pulsantium, nullo certo ordine, omnibus imperantibus, nemine parente, hinc inde inter se circumcursantium & conelamantium; is viam veluti imaginem verae & adulterinae Ecclesiae cernet. Sed non duces tantum, uti superioribus capitibus factum est, videamus, verum etiam ipsas vulgarium militum copias lustremus.

Triceps illa heresis, siue tres illae factiones, de quibus in praecedentibus capitibus egimus nempe Anabaptistarum, Confessionistarum seu Lutheranorum, ac denique Sacramentariorum in multas alias infinitas fere distictae sunt, dum hi illum, alij alium antesignanum noui alicuius dogmatis inuentore sequuntur; & singuli notam tam suam quam aliorum intelicitatis telam exordiuntur. Et quis omnes recensere possit? quam soli Eustathiani olim teste Nicephoro, (e) in duodecim factiones fuerint diuisi. Vix hoc proximum credere poterit saeculum, quod haec heresis videbit interitum illudque Lactantij (f) verum esse deprehendet, *Multi tudine religionum irreligionem producere.* Omnes illi qui ab antiqua discesserunt Ecclesia, in Theatro Christiãtatis sese ostentauerunt, verba sua pro dei verbis veditantes, (g) & ut plus quam

a Tom. 9. ser. de Cataclysmo b Tabula chronologica Galteri item Anatomia Ecclesiae Catholicae c Vide Reusnerum in opere Genealogico, ubi familia illustres heresis introducta auctores extincta cornuntur plurima d Ouid. lib. 2. metamorph. in i. c Lib. 18. cap. 45. f Lact. lib. 1. g Vide fusa in Myserio fraudis praedicatorum auct. Hieron. Mulmanno.



quam alij sapere videntur, singuli novam aliquam opinionem committentes. Hæc enim vis est vocis *ἄρεσις*, quæ Latina lingua idem significat quod *electio*: sic ut hæreticus is dicatur, *quis novum aliquod & singulare doctrina genus, communi Ecclesie sententia seu consensui contrarium, eligit, idque deinde tanta defendit pertinacia, ut totam Christianitatem cæcitatibus condemnare quam errorem suum agnoscere malit.* Hoc quidem fecerunt ac faciunt omnes nostri temporis hæretici, prædecessorum suorum vestigia sequentes. Quod si horum aliquot enumeravero, cum omnes non possim, id eo fit, ut quemadmodum ab Heliogabalo olim octo calvi, octo gibbosi, octo claudi, octo podagrici, octo surdi, octo crassi, octo macilenti, octo breves, octo longi convivio fuerunt adhibiti, ut tam male inter se convenientium hominum diversitate ac dissimilitudine rituum spectantibus moveret; sic hic quoque lectores tantam hæreseon licet à se invicem enatarum difformitatem ac monstrosam discrepantiam videant, quæ tanta est, ut diabolus ipse Mundi stultitiam ridere ac ludibrio habere, vel potius Germania in tot sectas divisa, in prædam ei data videatur.

II. In quovis fere angulo novam nasci videmus ecclesiam, quæ tamen ipsa etiam cum Luna subinde & cito quidem suam faciem mutat: ut Georgius Saxonie Dux non minus vere, quam facere dixerit: (a) *Quamvis forte Vitebergenses vicini sui sciant quid hodie credant; sed amen certo scire, nescire illos quid cras sint credituri.* Et eorum quidem qui Lutherani dici & haberi volunt, qui que Lutherum doctrinæ suæ auctorem & patronum faciunt, triginta quatuor sectæ à quibusdam notatæ sunt. Neque hoc à Catholicis solum, sed ipsi quoque Novis Evangelicis factum est: *qui plusquam ducentas una serie factiones recensent* ut è Pantaleonis, Funcij, Lavateri, Lindani & aliorum scriptis apparet. (b) Mihi quidem sentinam hanc vel potius cloacam diaboli foedissimam aggredienti, religio quædam obijcitur, tot execrabiles blasphemias, quas tangere me oportet, exhorrescenti: eo que breviter tantum hæreseos ceteris magis notabiles recensero. Et velut in parvo annulo ingentis colossi imago sculpi potest; sic tribus aut quatuor capitibus ingentem eorum repræsentabo multitudinem, quæ cælo bellum inferre ausa fuit; non tamen gigantibus illis, sed Pygmæis magis similes, sagittis armati, & in decutendis segetum aristis non minus quàm

alij in celsissimis arboribus deijciendis laboris fumentes. Veniam mihi dabit, spero, Christiani Catholici, tot tantisque blasphemias cocervaturi. Videbitis quemadmodum cicadæ iisdem locis nascuntur, vivunt & occidunt; sic magnam istarum sectarum partem ibi sepulchrum, ubi primæ earum fuere cunabula, invenisse. Harum ego singulas nullo certo ordine, sed prout quæque sub manum venerit, recensero: nec ortum cuiusque in tanta confusione anxie investigabo. Quis enim in tanta confusione ordo à me posci queat? Tanto vero magis nullum mihi hic servandum ordinem puto, quod fidus hæreticorum Advocatus & malus historicus Sleidanus plerisque velum obducit, pudore, credo, suffusus, Prophetam suum tam multiplicis, difformis ac monstrosæ prolis parentem evasisse videns; atque alij etiam, qui tam in Gallia quam Anglia de restauratione Ecclesie scripserunt, pleraque ne nomine quidem sibi notas esse simulant.

III. Vix Lutherus cucullum abjecerat, vix primum in Ecclesiam assultum fecerat; quum ecce ingens turba perturbatio per totum Christianum Orbem sequuta est, plerisque horribili illa voce Lutheri intoxicatis: *Maledicti omnes qui aures suas doctrina mea non aperiant vel potius fumo putei Apocalyplici, quem Lutherus clavi Doctorali sua aperuerat, dum omnes homines Sacræ paginæ creavit Doctores, interpretes & Pastores &c.* Nec mora. Plurimigustata Evangelicæ libertatis dulcedine carni grata, & ipsi tentare aliquid voluerunt, aientes, tam sibi quam Luthero licitum esse veritatem investigare, & scripturæ secreta aperire. Honorem ex tunc quisque & gloriam ambiebat, quisque primus esse cupiebat. Unde recte à S. Augustino dictum est, *Mundana gloria cupiditatem omnium hæreseon esse matrem. Quis que Spiritum sanctum sibi datum dicebat.* Christum hic, alius alibi monstrabat; plane ut Salvator noster eventurum prædixit. (c) Novam sibi quisque religionem formabat; omnes tamen interea nullam habebant. Recte Hieronymus, (d) *Hæreticos suum quemque Deum habere, ait, talem scilicet qualem ipsi sibi formatint.* Nihil antea tam certum in Fide atque immotum fuerat, de quo non dubitabatur. (e) Nulla iam par erat

a In Edicto suo. b Omnes has ad 212. nominatas Vide in Anatomia Eccl. Catholica Francos. 1653. cusa in 4. c Matth. 24. d In c. 11. Osee. c Vid. And. Fabr. in Hermo. Evang.



erat conscientijs, nulla animis tranquillitas, qui antea in gremio Ecclesiæ securè & iuuuiter quiescebant: diabolo omnem Fidem & religionem ex hominum cordibus passim eripiente, & diuersarum opinionum turbis omnia miscente. Quot capissa tot sensus, quot cerebra tot religiones, quot Doctores tot erant fides. Atque vt omittam sat multum (a) commemoratos Anabap: istas, qui sunt prima sætura Lutheri, & in Rotmannitas, Münzerianos. Adamitas, Steblers, Sabbatarios, Clancularios, Manifestarios, Dæmoni saluos, communia omnia habentes, Condormientes. Eulantes, Georgio-Davidicos, Mennonitas Polygamistas 41. sectas (b) diuisi sunt: Vtque etiam omittam Sacramentarios de quibus etiam supra (c) actum est, & minimū in 35. sectas diuisi sunt (d) ipsi Lutherani seu Confessionistæ statim exordio s. o. in tria genera diuisi sunt, nempe MOLLES RIGIDOS & MISTOS (e) Rigid: seu Stoici, qui adhuc in pleraque Saxonia, Magdeburgi, Brunsvici, Lubecæ, Hamburgi, Lunaburgi, & alibi primastenent Horum præcipuierant Matthias Flaccius Illyricus, Nicolaus Gallus, Merlinus, Amsdorffius, alijq;. At MOLLES, per Misiniam, Franconiam, Norimbergæ, Vlmæ, & in parte aliqua Sueviæ, vt & per VVirttembergiam Horum deinde medij siue Misti in Semitiansubstantiatores, Extravagantes, & Confessionistas recalcitrantes diuisi sunt sub quibus Osiandri Stancarij, Antistancarij & Schvvenckfeldenses comprehenduntur (f) Adiaphoristæ inter Molles reputati à Melanchthone & Ebero ADIAPHOR: s. progressi sunt: (sic enim eos appellat capitalis iporum hostis Flaccius Illyricus) quorum etiam nouum hic illic in Germania magnus est numerus, neque etiam Wittebergæ primaria Lutheri sede, & in alijs Saxonie oppidis, ad Electoris ditionem spectantibus desunt. Contra Melanchthonem certe modo dictus Flaccius hanc pronunciat sententiam. (g) Quandoquidem, inquit, Philippus & eius complures in suis opinionibus contumaciter persistit, suadeo ego vs pro Ethnicis & Paganis habeantur, nec quisquam bonus cum eu communiceat. Qui secus fecerit, ei ego iam iram Dei denuncio. Vult enim Deus vt vel calidi vel frigidi simus. Tepidos idem ex ore suo euomit; neque vera Ecclesia eos ferre potest, qui noua quadam & numquam visa coniunctione, calidum cum frigido confundunt. Et illi quidem, vt veros & genuinos Lutheri decet discipulos, ne vnus quidem litteræ gratiam, aut vel latum vnguem cedere sustinent: Jeneri & crudeles homines, vt inquit Sturmius, quibus

omnia perdendi est libido. At reliqui faciliores aliquāro, concedunt, non ita pertinaciter in omnibus tuendam esse Lutheri sententiam, vt qui interdum affectibus suis plus æquo indulserit.

Quod ad Adiaphoristas attinet, ij Constitutiones & Ceremonias Catholicæ Ecclesiæ indifferētes existimant, quibus pro arbitrio quisq; vti possit vel minus, sine vllō scrupulo, aut disquisitione. His illi vel addunt vel deerrant, eā denique formā inducunt, quæ Theologis viderur: vt ex Theologorum VVirebergenſium & Lipsienſium Anno MD XLIV & M D XLV. editis decretis constat. Ipse quoque Zuinglius ait, (h) in rebus externis, quæ expresse Dei verbo non continentur, licere cuique facere atque vſurpare id quod vſum fuerit. Sed hoc nihil aliud fuit quam emplaſtrum seu ceruſſa, tegendis interioribus animi vlceribus accommodata. Omnia in peius eunt, inquit Amsdorffius, Omnes clamant Euan-gelium inter nos perire, non alim ob cauſſam quam quod quisque ſuum ſenſum ſequitur. Brentius & Adiaphorista in Colloquio VVormatiensī Zuinglium & Osiandrum damnare noluerunt: nostri vero in congressū venire recusarunt, nisi illi excluderentur. Adiaphorista dicunt & fingunt quidquid volunt, Imperatoris voluntati sese suamque doctrinam accommodantes & quamuis Papiſticam Miſſam probent & amplectantur, pro Lutheranis tamen haberi volunt. Habes Lutherani Prædicantis de Adiaphoristis iudicium.

IV. Recensui Lutheranorum tria genera, præter hæc ex eodem patre orti sunt Semi-Lutherani, quorū alij ſua propria dogmata Lutheri doctrinæ atreixerunt, & horum sunt minimum 18. sectæ, (i) inter quos reperiuntur Interimista, quorum religio duobus ante Lutheri mortē annis cusa fuit, vt tuo loco ostendam. Hi rursus in duas aut tres classes distinguuntur. Alij enim Interim (k) Imperatoriū ſequuntur, nec multum à Catholica Ecclesia abſunt, exceptis articulis de Communionē sub vtraque ſpecie, & Coniugio Sacerdotum: in ceteris omnibus Catholicæ Ecclesiæ consentientes dicunturq; Interimista Caſarij, & Lipsienſes Interimista

a Supra capitibus primis. b Anatomia Eccl. Catholica initio. c cap. 7. &c. d Anatomia Eccl. Catholica. e ibidem & Genealogia Lutheri quinti Euangelist. f Anatomia citata initio g Hofius in Actis Elbingen & Vlenberg in Vita Flaccij & Melanchthonis h Zuing. De Eccles. fol. 85. & 89. Amsdorff. pub. Conf. pur. doctri. i Vlenberg. in Vita Flaccij. k Anatomia ex Vlenberg. loc. cit.



quædam ex Lutheri doctrina admisceat, (a) cum Catholicis tamen opera ad iustificationem necessaria esse docent. Concedunt etiam septem esse Sacramenta: & Episcopis suis obediunt, denique alij sunt Interimistæ Francici, qui interim Lipsiense aliquandem mutarunt. Breuiter, mixtura hæc quædam est antiquæ & nouæ religionis. Omnia eorum dogmata perstringere, nimis longum esset & fastidiosum: quare summatim hic attigisse sat est. Ex eodem genere semi-Lutheranorum sunt (b) Vbiquitarij magno numero, Hi credunt tam humanitatem quam diuinitatem Christi vbique esse, tam in Baptismo, quam in Cœna Domini, imò in ipso quoque Inferno. Hic idem error fuit Eutycheis, vt ex Theodoro discimus (c). Sectæ huius auctor Brentius putatur, qui Homilia III. in Acta Apostolorum, inquit, ex S. scriptura haberi Christum ad calos ascendisse, non tamen ita, vt certum in visibili caelo locum occupauerit, quo contineatur, sed ipsum caelos penetrasse, vt epistola ad Hebraeos loquitur & eleuatum esse supra omne id quod in caelo est & in terra, siue vt adimpleret omnia. Idem in Colloquio Wormatiensi cum Ioanne Lascio, (d) præsentis Duce VVitembergico, sermonem conferens, libere dixit, Christum non vere & naturaliter fuisse hominẽ, sed spiritum duntaxat; neque vere mortuum, aut passum esse, sed humanam naturam totam à diuina esse absorptam. Hic non dissimilis fuit Seleucianorum Eutychiaorum, Acephalorum, Monophysitarum & Monothelitarum doctrina, qui omnes diuinæ & humanæ Naturæ in Christo, & vtriusque proprietatum distinctionem, tam perspicue à SS. Patribus explicatam, comprehendere vel intelligere nequiverunt. (e) Docent ergo Vbiquitarij Christum vbique præsentem esse, non in homine tantum sed etiam omnibus alijs in rebus. Esse eum in Sacramento, esse etiã vbiq; Sed quomodo homines ab Ecclesia refugit in eam opinionem inciderunt? non sane alio dũce quam Luthero, quicum Christum Dominum nollet fieri præsentem in Sacramento altaris per transubstantiationem contra Catholicos, & tamen velle esse præsentem, contra Zuinglianos alia ratio quam per Vbiquitatem eum sistendi non occurrit. Verum eni muerò Christi corpus non ideo vbique est, vt sit in Sacramento, quemadmodũ nec ipsum Sacramentum vbique est. Modus enim essendi quem Sacramentalem cum scholasticis Doctoribus appellamus, nec definitius est; nec conscriptius, nec repletius, sed singularis & specialis, talis scilicet quo corpus Christi in Sacramen-

to est præsentis. Doctrinam hæc à Luthero quoque suo assertam hæcisse Brentius existimatur, dicente, Vbi Deus sit ibi quoque Christi esse carnem. (f) Atqui Deus est vbiq; e. Ergo & Christi caro. Verum consequentiæ huiusmodi crassam sapiunt ignorantiam; vt pote ex Antecedentibus tam falsis, quam male intellectis extructæ; vt dixi; ipse Lutherus ad probandã realem Christi in Cœna præsentiam, Christum vbique esse asserit; vt qui ad dexteram Patris se deat, quæ sane vbiq; est. Christus vt h. mo. inquit Illyricus Vbiquitarius, non est in caelo tamquam in loco; sed caelum potius est in Christo quum Christus vbique sit. At, si caro Christi vbique est, ergo in supremi illius Iudicij die è caelo non descendet, vt qui iam in terra sit; neque in caelos ascendisse dici poterit, quum ibi fuerit. Resuscitatum eundem nemo recte dicere poterit, vt qui intra atque extra sepulcrum fuerit; neque ad inferos descendit, quum semper ibi fuerit. Ex quibus apparet quomodo Vbiquitarij omnes pene Fidei articulos hoc suo dogmate penitus conuellant. Neq; enim Christas vbiq; esse dici potest, quũ ipse dicat, se non adfuisse quum Lazarus moreretur. (g) Et Angelus faminis testetur, ipsum in sepulcro non esse. (h) Lucas ait, (i) quod nubes eum suscepit ab oculis Apostolorum, in caelum eum ascendere videntium. Deus qui semper vbique est, de loco in locum non transit, vt dicit S. Ambrosius? (k) sed in quantum homo, tam abit, iam venit, ac dicit: Surgite, eamus! (l) Recte S. Augustinus non necesse, inquit (m) esse vt quod in Deo est, etiam vbique sit: quum S. Scriptura, quæ verissima est; nos in ipso viuere, moueri & esse dicat, (n) nequaquam tamẽ, vt ipse, vbiq; simus; sed alio modo homo in Deo est, siquidem Deus alio modo in homine est, nimirum modo quodam proprio & singulari. Melanchthon qui viuò Luthero Vbiquitatis patrociniũ quodammodo

fulce-  
a Vid. Amsdorfum, Rigidum; b Anatomia loc. cit. Myconius resp. ad VVestphal. Beza resp. ad quaest. Dam. Hofman. c Vid. ep. Flauij ad Leonem. Bellar. lib. 3. cap. 4. Aug. har. 39 d. Schluslib. Tom. 2. Theol. Calu. fol. 3. c. Leo. epist. 9. 10. 11. 79. Theodor. lib. 4. Suid. de Eutyche. Euagr. lib. 3. c. 34. & lib. 4. c. 4. Damas. de hæres. Niceph. lib. 18. c. 45. Ioan. 1. Mar. 19. Luc. 2. & 24. Clem. lib. 7. Apost. Const. c. 37. Ign. epist. ad Episc. Dionys. Areopag. de diuin. nomin. Iustinus Martyr. in Expos. fidei. Mar. vlt. f. Luth. Tom. 3. lib. de assumpt. Dom. ten. pag. 283. g. Ioan. 11. 15. h. Mar. 16. 6. i. Act. 1. k. Lib. 2. de fide. cap. 4. l. Epist. 57 ad Dardanum. m. Act. 17. 28.



fulceperat, (a) eo mortuo eandem irrisit. *Corpus Christi* inquit, alibi, *in caelo est: sed cum divina eius Natura ubique est.* Et in Synodo Dresdeni Anno MDLXXI. unanimi Superintendententium Saxoniae, & VVitebergensium ac Lipsiensium consensu *Ubiquitas haec condemnata fuit, tamquam Sathanae inventum, ac multo atrocius a Zuinglianis & Calvinistis.*

V. Georgius Maior natus Norimbergae Anno 1502. 25. Aprilis, postitis primis literarum fundamentis VVitebergam profectus, factus est Lutheri discipulus; & ipso adhuc vivente professor Theologiae Novae, ad Philippum deflexit in quibus ille Lutheri rusticam austeritatem castigabat. Idem Anno 1545. ad Colloquium Ratisbonense suavis Lutheri missus est, de reo domi Philippo, a deo ille fidebat Maiori, quae vis nec ipsi plene fideret, ob sacramentariae haeresis favores. Cuius autem Maior 21. Januarij Ratisbonam Anno 1546. ingressus, ut caeteri Lutherani trucidando de religione tergiverfateretur, accidit Lutherum 18. Februarij Islebij mori, quo sublato oppressae haecenus metu linguae Luthericolarum in plurimas haereses decesserunt, (a) ioter quos etiam Maior in Ecclesia VVitebergensi successit, ab eodem nutritus & educatus, post mortem magistri, novum & ipse signum sustulit, & exercitum conscripsit eorum qui *Maiorista* dicti sunt. VVitebergae potissimum ac Lipsiae sese iactantes, quamvis e diametro Luthero repugnantes. ut enim Lutherus docuit, Fidem solam (quam ille vocem magistrali sua auctoritate sacr. literi adiunxit) *ad salutem sufficere*, sic e contrario Maior scripturis convictus asseruit, *neminem sine bonis operibus, (immo ne ipsos quidem infantes) salvari posse* (b) ut Straphylus scribit (c) Quin etiam omnibus qui aliter docerent, etiamsi Angelus fuerit e caelo, *anathema dicit* quo anathemate praecipue suum Magistrum Lutherum fulminavit. Nec vero alijs pepercit. Flaccius Illyricus illi est *diaboli organum*, alijs aliud visum esse contra Flaccium cum suis Maiorem eiusque adherentes id eundem *Luthero-papistas* vocitabat, quod ceremonias Ecclesiae Catholicae plurimas, bonaque opera nec non Spem, Caritatem praeter Fidem necessaria esse docerent, imo *Vertiginosos* eosdem vocitabant, quod dicerent se Lutherum per omnia sequi & tamen bona opera requirerent. Adhaeserunt autem Maiori illi schismatico Eberus, Menius, Matthesius, Eerinaeus, Cruciger Junior, Crellius alijque. Sed profecto aequae omnes haereticam suam pravitatem ostendunt. Lu-

therus in eo, quod *Scriptura* verbis, quibus bonis operibus merces promittitur, ijsque destituta fides mortua dicitur, vim infert; Maior vero, quod infantibus bona operatribuit, ut qui ob organonum indispositionem & humoris in tenellis membris abundantiam, nec ratione uti possunt. Porro Maioritas quidem (d) Mollibus Lutheranis adnumerant, qui etiam in alijs quibusdam articulis a veris Lutheranis dissentiunt. VVigandus rigidus Lutheranus, ait, *inter suos & Maioristas non esse de re levi contentionem, sed de ipsis Fidei articulis. Ac veluti diabolus, Mahumetes, omnesque hostes Ecclesiae nonnunquam Scripturae auctoritatem impietati & erroribus suis obtendunt; sic multos haereticos ad navas suas stabiliendas opinionis, Lutheri auctoritate abuti.* Certe Georgius Maior suae huic de Justificatione sententiae ex Lutheri libro, de bonis operibus, praesidium quaerit: Illyricus vero ex eiusdem in epistolam ad Galatas Commentarijs contrariam plane sententiam defendit. Idem scribunt Gallus, VVigandus, Merlinus, & alij, qui contra Maioristas stilum strinxerunt. Sic horum ipsorum confessione, Lutherus, ut carbonarius ille Satyri in antro, ex eodem ore calidum & frigidum efflavit: (e) nec eius spiritus alius fuit quam spiritus contradictionis, qui nihil verum ferre poterat quod non proculcicaret aut depravaret, nihil falsum, cui non centum induceret colores. Rationes autem Maioristicae sectae Fundamentales erant haec: (f) 1. Ut Antinomorum sectam opprimerent, Bona opera esse asserenda. 2. quod populus Luthericus sola fide nitens ad Epicuræismum devolveretur. 3. quod spes & caritas à Lutheranis multis ludibrio haberentur, easque virtutes vocarent mortem in olla, *versalgen* Musj. 4. Mandatum Caesareum Jaterim. Maiori primum Antagonistam sese obtulit publico scripto edito Amsdorffius, primus ille & ultimus à Luthero creatus Episcopus, tunc Magdeburgi exulans, depulsus per Caesarem Naumburgensis Episcopatu. secundi adversarij Flacciani cum A. 1552.

Y 2

Comi-

*In cap. 3. ad Coloss. Matt. 1. lib. de corp. Christi loc. citat. Bulling. de tract. mans. patr. b. Vlenberg. prolixè in vita Maioris, Philippi, Lutheri. c. Serm. de convers. Pauli & lib. contra Amsdorff. c. Item Anatomia Eccl. Cathol. Vlenb. in vita Maioris c. 1. n. 3. ex Actis synodi & Schlußselburg. de Maioristis pag. 28. d. Illyr. cont. Maior f. 336. in lib. de err. Maior. Item Genealogia Lutheri. & Anatomia Eccl. Catholicae. f. Aesopus in Fabulis. f. Vlenberg. Vita Maioris cap. 1. num. 3.*



Comitatus Mansfeldici Superintendens constitueretur Maior, hi enim ægrè ferentes contrariæ sectæ hominem sibi proponi, protestati sunt, & cum ad purgandum sese contra Amsdorfij librum compulerunt ille eam purgationem adhibuit ut iniuriam factâ ostenderet ab Amsdorfio sibi, quippe docenti, id quod Lutherus de bonis operibus docuisset. Amsdorfius e contra cum Flaccianis contra Maiorē responsum edidit tale: *Dico ego Nic. Amsdorfius: Quisquis docet quod bona opera sint necessaria ad salutem is Pelagianus est, & apostata & abnegator Christi &c.* Itaque *Compater meus Doctor Georg. Maier, Spiritum habet papisticum, sensum & animum &c.* (a) Nihilominus Maior impetritus Bonorum operum necessitatem porrexit urgere, & irritatus adversarios bonorum operum in Concionibus appellavit *Indoctos, imperitos, indignos ministerio ecclesiastico, dignos vero agazonum officio & qui tabulis asinorum malorumque Romani Pontificis expurgandis destarentur.* Monitus hanc ob bilem mansuete respondit se revocaturum, sed ab Illustribus personis confirmatus in proposito, nihil præstitit, quin librum de Conversione Pauli scribens in eum omnia præsidia sui dogmatis congestit, qui mox Lipsiæ excusus est invitissimis Flaccianis Anno 1552. exeunte, & sequente ineunte, quo cum Albertus Mansfeldensis exul restitueretur, is Maiorem in exilium factione Flaccianorum eiecit, qui VVittebergam confugit, & Erasmus Sarcerius ei in officio Jslerbij secessit, sub quo An. 1554. Synodus eoaëta, in quo Maiorista oppressi sunt, inter quos Stephanus Agricola vir eruditus cum esset, videns iniquitatem Lutherici spiritus, caput turbatum in Ecclesiæ Catholice sinum humilior factus reclinauit, opera Michaelis Sidonij & Julij Pflugij Episcopi Naumburgensis. At inter Apostaticos viros bellum magis magisque incruduit famosis scriptis adversum se confligentibus, donec Maior An. 1558. aliquantum cedens importunitati verbalem palinodiam conferisset, qua animus de bonorum operum necessitate & iustificatione Catholicis fere parem retinuit. Verum ille Adiphonisti & Melanchthonicis mollibusque Lutheranis satisfecit quidem illa sua palinodia, Flacciani vero quæ eum hypocriticos crimine suspectum habebant, non satisfecit quod cum Maior advertebat rel quom bibis contentæ hæcæus in eos effudit, tanta vehementia, ut Mancelius, eum instabatidi canis ierere & mordere dicat. Sane Flaccium vocat *Maior Facem, tubam, Ducem caputq;*

*horribilis distractionis inter Lutheranos, Sinonè Gracærum fraudum artificem, hominem sceleratum, ambitiosum &c. Similes vero ei esse, qui eum sequantur.* Hoc vèro perflati Flacciani in bellum iterum confurrexerunt An. 1565. quod neque cum morte Maioris extingui potuit. Maioris causam tuebantur VVittebergenses, & Lipsienses, & Augusti Ducis subditi prædicantes; Flaccianos vero Saxonis Vinariensis subditi & Civitates muleæ per Germaniam, qui omnes lanceis & telis, è Scriptura & Lutheri scriptis, assumptis configebant, & se configebant, & stercorebus se impetebant ex fimeto Lutheri copiose arcepto. Demum etiam Ducem Saxonie Consilio ad Colloquium aliquod publicum, lis relata fuit. Id Altenburgum Misniæ Urbem indidit est. Istic Juris Consulti ex utraque parte tres, & sex utrimque Theologi evocati adfuerunt, qui præfidente initar Pontificis Joanne Guilielmo Duce Saxonie 21. Octobris Colloquium id orti sunt, & per menses aliquot in seq. annum 1569. protraxerunt, eo successu, quo solent hæreticorum æcephalæ Synodi devenire, nempe ut pro futura peior fieret scissura. Itaque Maior senio laboribus, & calūnijs fatiscens An. 1570. titulo Testamenti librum emittens, suam de Justificatione sententiam expressit & non multo post Anno 1574. VVittebergæ decessit vivus mortuusq; a Flaccianis vexatus. (a)

VI. Andreas Osiander Lutheri itidem discipulus, Guntzenhusij non procul Norimbergæ patre fabro ferrario natus An. 1495. (b) novam & ipse sectam è Lutheranæ, suam sub incudem hæreticam proculdit, quæ ab eo *Osiandriana* appellata fuit. Hic alter Enoch videri ac haberi voluit, ut Lindanus scribit; & in suggestu ense lateri accincto Thraalonicè se ostentabat. Tribus A A A. pio symbolo ferere utebatur, quibus ille triplicium hæreticorum, Lutheranorum, Zuinglianorum & Anabaptistarum oppugnationem designabat. Primum A. Deum designabat, qui Germanica lingua *Ulmächti* dicitur. Secundum, famosum illum Ducem Albertum, de quo sequenti libro. Tertium, Carnificem eius Adamum nomine. Nonnulli, teste Schlusserburgio, (c) Judæum fuisse dicunt. Homo fuit vultu distorto & truculento ingenio tamen valido. Latine Græcè & Hebraicè doctus, ad famam aliquam. Corruptus est Lutheri hæresibus VVittebergæ inter primos Norimbergæ An. 1522. mense Febr. ad D. Laurentij eloquentiam Lutheranam iussus profiteri

a Vlenberg in Vita Maioris &c. b Vlenberg. in Vita Osiandri. c Lib. de hæres.



teri concionibus Dominica Sexagesimæ zizania prima 27. Februarij cepit seminare pro tritico quo & seq. Anno ibidem Albertum Brandeburgicum Ordinis Teutonici per Borussia Magistrum, ob comitia presentem Noribergæ corrupit. denique & Anno 1514. Urbem ad mutandam religionem veterem impulit. (a) In eo exquirendo omnes ingenij nervos intendit, utrum Corpus Christi, quod in communione accipitur, ut corruptibile sumatur. Aiebat enim victimam ibi esse sacrificio oblatam. Necessè ergo esse ut patiatur, & corpus illud quod passurum erat manducetur. Sed, quum mors Christi corpus non amolius attingat, quid, quæso, attinet disputare utrum sit corruptibile? Cui quum in Cruce nullum os fractum aut comminatum sit, ut Mosaico illi simile esset Paschali agno; quanto magis in sacrificio altaris idem manebit integrum, quippe quod Eucharistia est seu gratiarum actio, in memoriam mortis eius, sub speciebus non cruentis. Corpus Christi in Eucharistia tale omnino est quæle extra eam, excepto loco eiusque circumstantijs. Quod ut ante passionem fuit impassibile, ita quoque in Eucharistia tunc fuit impassibile &c. Si tribus illis diebus quibus anima Christi ad infernum descendit, sacerdos aliquis consecrasset, corpus examine sub speciebus panis fuisse reperiunt ita ut erat à Judæis male habitum & lacertatum, atque etiam ex sanguine, supposito quod eo sepultum corpus denudatum fuit: & eadem stante suppositione, sub utriusque speciebus solus fuisse sanguis, sine ulla corporis concomitantia. At post gloriosam corporis resurrectionem, tale idem corpus est in facie Eucharistia, plenum suo sanguine, ab anima vivificatum, & divinitate sustentatum: quemadmodum etiam sanguis in calice talis est, preciosus scilicet, corpore & sanguine consociatis, impassibilis, incorruptibilis: immortalis, nec in hoc sacrificio victima illa quidquam patitur, ut impius ille homo deliraret. Cum igitur eatenus esset & ille Sacramentarius novus, merito An. 1529. ad Colloquium Marpurgense à Landgravio Philippo fuit evocatus (b) & seq. Anno Comitij Augustanis adfuit, uti & Anno Smalcaldicæ Lutheranorum Synodo, tum Colloquijs Hagenoæ Anno 1539. & seq. Anno Vormatiæ, ac 1541. Ratisbonæ celebratis, in quibus omnibus aliud est professus in hominum gratiam, quam mens & conscientia ei dictabat in articulo de Justificatione nec tamen ita se palliare valuit, quin sensa præderet, quæ ipse Lutherus Marpurgi ex fastu eius notavit. (c) Itaque (d) præcipua ei de hominis Justificatione

fuit controversia, qua vix ulla inter omnes maioris est ponderis, quam ille à Lutero discussam, ab Augustana tamen Confessione non satis clare explicatam aiebat, quindecim diversas opiniones sibi invicem repugnantes, à Lutheri tamen ac Melancthonis discipulis defensas adducens; quas si explicare omnes velim, rem plenam fastidij sim aggressurus, ac vix disputationi exitum repperurus. Verbo Lutheri scripta velut Pandoræ fuerunt pyxis, è quator tamque diversæ & contrariæ inter se sententiæ evolarunt. Ex iisdem Joachimus VVestphalus & Joannes VVigandus inter alios hunc errorem luxerunt, Non posse nos iustificari sanguine Christi qui in Cruce effusus & in terra corruptus fuit. In quo illi quum stoliditatem tum impietatem suam produnt, ac verissime à sapiente dictum ostendunt, Spiritum ignorantem se ipsum decipere, & in cogitationibus suis perire, Neque enim illud considerant, precium redemptionis esse preciosum sanguinem Filij Dei, qui certe alius esse non potest quàm is quem in passione ex omnibus membris sui corporis pro nobis effudit ipso Domino attestante in cæna; Calix sanguinis mei qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. (e) Sed ô te impium, qui dicis, preciosum illum sanguinem in cruce effusum, in terra computruisse! An ignoras, sanguinem hunc cum Verbo hypostatice fuisse unitum, & omnis utpote sanctum per excellentiam (f) corruptionis expertem? Vnio enim ista, ut S. Cyrillus dicit, nihil aliud est quam quod Filius Dei nobiscum communicavit in carne & sanguine, & quia sanguis ille divinitati hypostatice fuit unitus, Christus una cum corpore & sanguine resuscitatus fuit, nec ullam sensit corruptionem (g) Hinc sanguis ille in S. Scriptura passim vocatur Sanguis Filij Dei, caro Dei, &c. quæ integra unâ cum suis ossibus, nervis & sanguine, est resuscitata. At si sanguis in terra computruit, sequitur profecto carnem ipsius non fuisse integram & perfectam resuscitam. Et hoc illud est quod S. Athanasius dicit, (h) Iesum Christum in suo proprio sanguine, quem pro nobis in cruce effudit, in caelos portatum fuisse. Idem dicunt S. Hieronymus (h), & Angelicus Catholicæ Ecclesiæ Doctor, (i) S. Thomas

a Vlenberg in Vir. Osiandri cap. 1. b Vlenberg. ibid.

c Vlenberg in Vir. Osiandri cap. 1. num. 1. Schlusßburg. de Hæres. Osiand pag. 243. d Vid. lib. de Inductio Osiandrisimo, an. 1586 Et Func. de reb. Osiand. e Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 6. Cor. 11. Act. 20. 28. f Act. 2. v. 11. & psal. 115. 10. g S. Thom. 5. q. 2. art. 5. In cap. 9 ad Hebr. h Ad Pammach. i Tho. in 3. part. Sum. q. 54. art. 2. Innoc. 4. b. 4. demyst. Miss cap. 20. Y 3 Aquis-



Aquinas. Contra irrationalem ergo & terribilissimam hanc hæresim, (cuius tamen defectionem vnus ex primarijs huius vrbs Calvinistis suscipere voluit) sic docet Catholica Ecclesia: *Christum D. N. & Salvatorem in resurrectione rursus assumpsisse omnem illum sanguinem sudauit, usque ad vltimum guttum quo latus eius in cruce perforatus fuit, effuderat: quo quidem sanguine Iesus Christus verus Deus & homo, nos redemit, lauit, iustificauit & saluauit.*

Docebat Osiander, hominem iustificari non sola fide, vt Lutherus vult, multo minus per fidem cum bonis operibus coniunctam, vt ex Catholicis furatus Maior; sed per iustitiam essentiali leſu Christi, in nobis habitantis, (a) quam ille doctrinam, Sleidano teste, à Luthero habere se dicebat. Et à quibusdam sic exponitur, nempe: Deum ipsum vel Christum, iuxta diuinam naturam essentialiter in nobis habitantem & impellentem ad bene operandum, esse iustitiam nostram. Et, errare eos, qui tantum in Christo quarunt iustitiam, cum ea nihil aliud sit quam vnus æternusque Dei, Patris & Filij & Spiritus S. essentia, habitans quidem in nobis & ad bonum impellens, verum ita tantum ut essentialis Dei iustitia nobis propter Christum imputeur, doneturque, quasi nostra ipsorum esset, & ex nobis orta. (b) Itaque Christum in carnatum, obediẽtem & passum facit meret causam meritoriam imputationis istius à se confictæ, quæ iustitia Dei æternâ nos iusti esse cõsemur, perinde ac si ipse Deus essemus. Hanc summam iustitiæ Osiandriam putant esse, qui Osiandri mentem conati sunt penetrare. Mihi verò dogma hoc, Callimachi somnio videtur esse obscurius. Quid enim quæso hæreticus hic intelligit per essentialẽ Christi iustitiam in nobis habitantis? Sed profecto facile credo, ipsum ne se ipsum quidem intelligere. Quomodo enim essentialis Iesu Christi iustitia in nobis habitare potest, nisi illa vel à Iesu Christo separata sit & in nos transfingrauerit, aut nisi ipse Iesus Christus in habitum quendam quo animus noster informetur, sit commutatus? quo utroque nihil est absurdius. Proprium est illud hæreticorum, vt suis se ipsi induant laqueis. At Catholici, Spiritus Sancti, qui Ecclesiam suam nunquam deserit, adiuti gratia, illud firmiter tenent, iustificari nos non per stultas eiusmodi imaginationes, sed per gratiam inherentem, quæ abundanter nobis infusa à Deo, cooperatione nostra secundum eiusdem voluntatem interueniente, sola nos Deo gratos facere potest.

Idem hic nouus Enoch, si dijs placet, Lutherum & Melanchthonem accubiabat quod ipsi Munda-

næ cuiusdam seu Aristotelicæ doctrinæ essent auctores, carnem & non spiritum sapientis quem in finem ille quædam, quasi secreta cunctisque abscondita, tenta proferebat, inter quæ etiam illud fuit; *Verbum Dei esse duplex, Externum seu prædicatum & hoc in scriptura contineri, aliud Internum, nempe ipsum Dei Filium, & hoc in mentibus nostris seminari, nempe vt supra dictum est, esse nostram Veritatem iustitiæ & cætera, quæ in nobis apparent bona. Externum verò verbum Dei, parui esse momenti, & simile, vetustus calceus in angulum protectis, (c) Homines ceteros præter Christum existentes esse imagines vel similitudines Christi Dei & Hominis, Christum autem solum esse imaginem Dei sine quo nemo potuisset esse vel fieri imago Dei: homines quosdam esse conditos ad imaginem Christi, qui nempe ipsius iustitiæ essentiali informantur, alios ad similitudinem eiusdem, qui nempe eius essentiali iustitiæ carant, sed ad laruam seu meram Christi figuram quæ ante incarnationem Dominicam Patriarchis apparuit, effigiatæ sunt. Hæc sua secreta dogmata eruebat ille ex Hebræo textu, Zelem, imago, & Demuth similitudo. Et hanc doctrinam a tempore Apostolorum assererat, et à nemine esse explicatam, Lutherum vidisse quidem aliquid, sed animum non intendisse serendi, aliaque huiusmodi fanda atque infanda spiritu arrogantæ congesta, in quibus potissimum nouam inauditamque iustificationem effinxit. Ob quæ Lutheranis & Augustanæ Confessionis professoribus factus est inimicissimus, & ipse vicissim eos exagitauit. Augustanam Confessionem vocando carnalem, phantasticam philosophicam, idololatricam, quæ Christum pictum & fictum doceat in regno diaboli &c. (d) Ita Osiander Lutherum Lutheri quod in Catholicos sæpe proiecerat, vicissim in ora Lutheri se Ætatorum, Dei iusto iudicio, regebat. Fecit tamen mutus metus Osiandri ac Lutheri, vt viuo Luthero & Osiander se ab illo, & hic ab Osiandro publice carpendo abstineret, et si causas sibi graues dedissent. Mortuo vero Luthero, prædicantes ceteros, vt vulpes & lepores Osiander contempsit, & suum virus peruicaciter effudit, quæ propter cum is Anno 1548 Interim*

Cæsarium

a Vid. Gasp. Vlenberg. caus. 9. & Vita Osiandri cap. 1. num. 3. b Ita exponit Vlenberg loc. cit. c Vid. Staph. fol. 364. d Schlusselburg in hæresi Osiandri. psal. 46. Vlenberg. Vita Osiandri. cap. 1. n. 4. e Schlusselburg. pag. 94. l. cit. Kemnitius pag. 91. Vlenberg. eius Vita. cap. 1. n. 4.



*Cesarium in Comitibus Augustanis approbatum aspernaretur Norimberga fugatus in Borussia ad Ducem Albertum, cui iam ante virus Luthericum Norimbergæ afflarat, confugit, & Regio monte Professor Theologiæ ac pastor constitutus est, ubi inter alios Ioannem Funcium Chronologum eruditum & alios in suas partes; demum per hos & principem traduxit; ac Fridericum Staphylum tunc Lutheranum & principis Confiliarium, aduersarium nactus, ei occasionem dedit ad Catholicæ Ecclesiæ suam reuertendi. Hic enim se Osiandro cum alijs aliquot Viris opposuit. (a) Atque hunc in modum infelix Noui huius Prophetæ doctrinam Albertus Prussæ Dux approbavit, adeoque omnes qui ei contradicerent, finibus eiecit. Initio quidem concordia tentata fuit, sed frustra, quo priuatam quique sententiam afferret, nec in iustitiæ diffinitione conuenirent. Melancthonem & ceteros. Vitebergenses cum Osiandro in arenam quidem traxit Staphylus, sed Melancthon languide & veluti declinans congressus est; Osiander ferociter. Vnde Zelotis Lutheranis non parum displicuit, & quidam etiam ad Osiandrum defecerunt. Nam Bientius & ceteros. Sententiam eius de iustificatione quodam modo probare videbatur, (b) dicens, non sine causa ab Osiandro statui, essentiali iustitiam Dei habitantibus in nobis, & nos ad bonum excitantibus, nostram esse iustificationem. Nec ab hac sententia Schmidelonus abhorreret visus est; quamuis Vitebergenses Theologi pronunciauerunt: Nihil in Scriptura à se reperi, quod cum Osiandri doctrina conueniat. Magnas sane turbas in Lutherana Ecclesia excitauit Osiander; quem etiam nonnulli ferunt sermonis cum diabolo habuisse commercium, adeo vero ab initio propalata hæresis sua timidus euasit, aut ferociter visus est, ut nunquam in publicum prodiret, quin sub veste armageltaret, tam in Scholæ quam Ecclesiæ Cathedra. Ceterum in medio cursu, dum cum aduersarijs luctatur, & recens natam hæresin stabilire ac propagat Anno 1552. mense Octobri tactus apoplexia repente concidit, & post durum agonem 17. Octobris animam luctantem exhalauit, sine vilo penitentia signo natus annos 55. sepultus in alieno Sepulchro, ex quo tamen rursus extractus obscuro loco & qui ex memoria hominū abiit, est defossus. (c) Palladius miserabiliter mortuum scribit, & à Deo loquendi facultate ante mortem priuatum. Sed reliquos nunc persequamur, breuiter scilicet, ac leui, quod dicitur, brachio, nisi forte ad-*

co insignis alicuius vel stultitia vel prauitas occurrat, ut longiorem aliquantò explanationem requirere videatur. Ut enim in virtute laudis & honoris; sic infamiz in vitijs certi sunt gradus.

## DE PLVRIBVS NEFANDIS HÆRETICIS, qui regiones Septentrionales multiplices veneno infecerunt.

### CAPIT. XV.

#### ARGUMENTVM.

- I. De Augustiniano Stancariano, & Musculano.
- II. De Adamitis & Orebitis.
- III. De Sabbatharijs & Clancularijs.
- IV. De Davidistis, seu Davidis Georgij sectatoribus.
- V. De Mennonistis, Deistis, & Antitrinitarijs.
- VI. De Michaele Serueto Hispano.
- VII. Dictum Erasmi, & quid Trinitarij de ipso dicant.
- VIII. Lutherani & Calvinista mutuo se accusant.

**I**NTEREA dum pleraque regiones Septentrionibus obiectæ; religionum diuersitate fluctuant, & plerique noua audaciâ, quasi Ecclesia sub ferulam ad ipsos alphabetarios remissa, nouas interpretationes ac nouas doctrinæ formulas comminiscuntur, & non minus Prophetam, non minus Spiritus Sancti, quam Lutherum, Melancthonem, &c. quisque participem, & ad Mundum noua Euangelij luce collustrandum missum se iactant; complures aliæ hæreses non minus nouæ, sed multo magis ineptæ ac ridiculæ passim emerferunt. Inter alias, Augustinianorum secta in Bohemia exorta, vel potius renouata fuit; quæ ab Augustino Boemo dicta. (d) præterquam quod cum veteribus Hussitis & recentibus Anabaptistis dogmata quædam communia habet, asserit cælum & infernum

a Act. 13. b Vid. Epist. Bren. anno 1551. Viteberge impressam. Smidel. in lib. cont. long. Catal. Vid. Hofium fol. 537. & Martin. Chemnitij iudicium de Osiandro. c Vlenberg in fine Vita eius. d Anasomia Eccl. Cathol. in Catal. Sectarum. Lindanus. Rescius.